

I. N. D.
SPECIMEN PHYSICUM
De

NYMPHIS AQUATICIS

maximè portentosis,

Bon

Wasser = Bräuten /

Quæ

Haud pridem per aëra nostrum Erfurtò-Thuringia-
cum terrificò ferebantur agmine,

Quod

Comprobante SENATU SOPHORUM
AMPLISSIMO
PRÆSIDE

M. JOH. SAMUEL Tromsdorff /
Mittelhufa-Thuring.

palam exhibebit

JOH. CHRISTOPH. SCHURERIUS, Erff.
Philos. & J. U. S.

die 1. Julij

H. L. Q. C.

Anno M. DC. IIC.

Erfordiaë, Stanno Kindlebiano.



EFFICACIA PHYSICUM

PHYSICUM
PHYSICUM

PHYSICUM

PHYSICUM

PHYSICUM

PHYSICUM

PHYSICUM

PHYSICUM

PHYSICUM

PHYSICUM

PHYSICUM

PHYSICUM





I. N. D.

PROOEMIUM.



Arius insectum erat,
quod die XXVII. Maji. st. v.
post meridiem ab hora se-
cunda supra sextam usq; in
urbe pagisq; vicinis oculos a-
nimosq; spectatorum attoni-
tos horrore perstringebat
maximo, ipse horâ stâ ad
Vener. Parentem Mittel-
husam emigrans, stupefa-
ctus aspxi continuum agmē,
quod infimam aëris regionem totius districtus versus mon-
tem rubrum undiquaq; repleverat; Consului mirabundus
eruditos & plebejos, verum, quot homines quæsiui, tot no-
mina acquisiui; evolvi Physicos non paucos, (plures com-
municabat Generos. atq; Consultis. Dn. Antho. Romanus
â Mogkershausen, Vir, tum stematis antiquitate, tum in-
signi cani capitis eruditione diu nobilitatus, Mæcenas me-
us demissè observandus.) ast, quotquot de variis insectis e-
ruditè scripserunt, isti horum ne nomen quidem posuerunt,
si unicè Perlas analogicas Kircheri & fortean Jonstonii
A 2 excipias

*excipias. Constitui hinc vilissimas has pagellas Doctorum
 iudiciis subicere, cuius causa non est vanus me ostentandi
 aut altercandi pruritus, neq̄ ut alios informem, sed ut ipse
 verum inveniam, monstrataq̄ insecta intimius cognoscam.
 Si aliorum consensum obtinero, Deo referam grates, sin-
 verò succubero, instruente me Hornio Hist. nat. l. i. p. 5.
 cum Cæcilio dicam, ut ille (Opponens) mei victor est, ita
 ego triumphator erroris. Omnia autem mea cogitata in
 duo capita contraham, quorum primum, præmissâ nomi-
 nis evolutione, ea, quæ ad substantiam spectant, proponet,
 alterum accidentia quædam quidque insectum hoc
 præmonstret, enucleabit, è quibus excussis ultimò para-
 bitur descriptio. Sit ergò B. C. D.*

CAPUT. I.

De

NYMPHARUM AQUATICARUM
 SUBSTANTIA.

Thes. I.



*Nymphas vocamus animalcula nostra, par-
 tim respicientes ad significationem, quam
 hæc vox obtinet apud Arist. Hist. anim. l. 5.
 c. 19. ubi de generibus insectorum ait,
 quod, cum formæ lineamenta receperint,
 sub hâc facie Nymphæ appellantur; partim
 etiam ad usum termini germanici Bräute. Cæterum
 Νύμφη voc. Græcum est, sed latinis etiam usitatum, & a-
 lioquin plura indicat. Gentilibus Deam virginali for-
 mâ denotabat. Plinio speciatim apes juniores dicun-
 tur*

tur nymphæ, quarum mel nobis est Jungfrauen-Ho-
nig. Designat tandem cavernulam infra nasum & su-
pra labia. *Vid. Corv. Font. lat. part. 1. p. m. 669.* Aquati-
cæ autem salutantur, eò, quod insecta generentur etiam
immediate (prout non oriuntur è coitu,) in aquis, cen-
sente *Arist. de Gener. anim. l. 3. c. 9.* Aliàs, quia ut pluri-
mum ex aqua quiescente & admixta materia terrestri
nascuntur, mallet eas vocare *paludicas*, ut & si origi-
nem, & rationem vitæ simul consideres, *aquaëreas*, cum
vero citata Germanica appellatio sit usitator, eandem
& in Latio retinebimus.

Thef. II.

*Non autem intelligo hoc nomine terriculamenta navi-
gantium in aquis, quæ à Sperlingio Inst. Phys. lib. 1. c. 9.
quæst. 4. non naturæ esse, nec parerga, sed Satanae spectra,
dicuntur, nec innuo ubivis obvium insectum aquaticum à
vulgo dictum Eine Wasser-Jungfer / hæc quippe non
ita aërem transmigrat, est minoris quantitatis, coloris
magis glauci & quæ aliæ sunt differentia: Sed indicatur
tale insectum, quale in Thesi ultima hujus Dissert. defini-
etur.*

Thef. III.

*Nominantur nostræ Nymphæ quibusdam muscæ
aquaticæ, it. Canneæ, Wasser-Schilff-oder Rohr- à plu-
ribus Hispanicæ, Spanische-Fliegen. Priores quidem
appellationes conveniunt earum origini, posterior ve-
ro eis tribui videtur duplici ratione, scil. vel ideò, quod
in Hispania similes dentur, quod à posteriori concludi
probabiliter posset, quia hæc regio secundum Zeilerum
viniferaçissima est, quod tamen in suspensio relinquo;
vel*

vel quia sunt *σπάνιον*, rarum quid, de infvetis enim & infrequentibus obvenientibus dicimus, das kömmt mir Spanisch / (i. e. frembde und selzam) vor. Alii nuncupant Goldfliegen / fortè ob colorem flavum, quo plurimæ in pluribus, quædam in omnibus partibus ornatae sunt. Iterum alii appellant Wein-Bögel eò, quod Anno præterlapso 84. vini fertilissimo, similes, quamvis non in tanta copia extiterint. Doctus quidam vocat eas Glasz-Köpffe / dubio procul ob colorem vitreum, quem in fronte & dorso præferunt. De cætero qn. etiam nominantur, Drachen-Huren / Grase-Mägde: It. Meer-Schnecken his nominibus evolvendis supersedebo, cum non adeò usitata sint.

Thef. IV.

Nomine paucis explicato ante plenariam partium integrantium cognitionem ordine naturæ prius investigabimus *immediatam earum generationem*, de qua sententiam Aristotelicam circa finem Thef. 1. audivimus. *Autor annot. ad Religionem Med. (Lev. Nic. Moltke, Eques Mecklinb.)* fovet eandem p. 213. *insecta*, inquit, *ex terræ visceribus aquâ madefactis generari, non est dubium. Athanas. Kircherus Mund. subterr. [quem Admod. Rever. & Excellentiss. Kieslingius, Hermet. P. P. merito benevolè concessit] p. 380.* ponit & generationem alicujus insecti, quod convenit IN MULTIS, cum nostro, quod PERLAM vocat, rationem etymi desumptam fuisse à Germanico Perl / penitus autumo, quia hujus termini nulla vestigia nec in latina, nec in Græca, nec Hebræa, Chaldaica atque Syraica lingvis invenio, videtur autem subesse aliqua Metaphora in eo consistens, quemadmodum Uniones, juxta comunem Physicorum

ficorum consensum, quorum plures cit. vid. ap. *Bechm. Syst. Phys. lib. 4. c. 2. §. 25. seqq.* in fundo maris generantur, ita m. Perla &c.) modum generationis, cum cit. Autor non sit in omnium manibus, huc transcribam; *Genesis* Perlæ est hæc. *Reperiuntur in fundo fluminum saxi adhaerentes canaliculi ex arena & stipulis concreti, in quibus tanquam intra tubulos, vermes continentur, quibus utuntur piscatores ad pisces hamo, cujus aculeo esca loco illos infigunt, capiendos; hi jam maturi eductis pedibus unâ cum canaliculo adrepunt usq. ad superficiem aquæ ripis conterminam, ibiq. saxi aut terrestræ glebæ adhaerentes, calore solis in Perlam degenerant, adeoq. unum & eundem ortum cum papilionibus obtinent, hæc tantum differentia, quod papiliones in plantis, hæc in aquis suos sortiantur natales.*

Thef. V.

Notanter dico Thef. præced. in *MULTIS*: hoc enim hîc notari velim, quod *Kircherus* loqui videatur, quantum quidem iudicii mei tenuitas perspicere valet, de notissimis virginibus aquaticis, quas removimus in medio *Theseos II.* non de rarissimo nostro insecto, istud namque est aliquantulum minus nostro, quod colligo è figura minori ab ipso apposita, deinde laud. Autor de insecto à se explicato asserit, quod maximè volet circa aquas fluviatiles, nostrum verò maximè amat liberum per aërem transitum, &c. Interea tamen istud negare non auserim, quod nostræ Nymphæ eadem ratione possint generari, quâ Perlæ, & hæc sententia cum aliorum opinionibus conciliari queat, si dicamus, præsens insectum è materia aquea & terrestri fuisse generatum.

Thef.

Thef. VI.

Nunc singula membra, prout à nobis cognosci potuerunt, examinabimus brevissimis. *Caput in anteriore parte speciem præfert faciei humanae, ubi frons in utroq; latere nitidè elata unicâ rugâ prædita, coloris valde pellucidi & fere crySTALLINI, in medio subflavi; infra hanc duæ quasi rugæ, quæ loco ciliorum sunt, binas subse continent foveas minores flavas, nigris circulis inclusas oculorû figurâ depingentes; sub quibus os dentibus analogicè dictis, (quales & insectis tribuit B. Franzius Hist. animal. Tract. 4. part. 2. c. 7.) & lingua cum mento in medio diviso, omnia coloris subnigri; quibus adhærent utrinque flaventes mandibulæ. Supra frontem in medio inflexam præeminet quædam particula subalba durior, cum qua cohærent duo globuli infusci, aures quasi tegentes, qui in ista portione, quæ versus pennas est, binis luteis punctis ornati, in quibusdam Nymphis in latere dextro in unum coaluerunt, suntque non absimiles mitris pelliceis utramque aurem tegentibus, quibus annosæ rusticorum mulieres utuntur.*

Thef. VII.

Vexata hîc oritur quæstio, quando quidam (quorum nomina studio taceo) ex eo, quod insecta manus persequentium celeriter aufugiant, visum eis tribuunt; Ubinam iste visus genuinam habeat sedem, utrum in citatis globulis, an vero alibi? Respondemus, dari eam in fronte præeminente, diu id quæsi microscopio, verum in nulla capitis parte, præterquam in hac aptitudinem quandam conspiciere potui, ubi humorem crySTALLINUM exterius observavi, interius reticulam,
per

per quam imago rei transire potest ad nervum opticum, in quome confirmavit supra laud. Kieslingius, dum per microscopiorum exquisitissime omnia exhibentium unum, monstravit fimbriolas quæ palpebræ sunt. Hoc autem monendum, *quod non completum habeant visum*, quia non adsunt omnes tunicæ ad oculum requisitæ, (de quibus vid. *Jacchæus Inst. Phys. p. m. 240.*) hinc tantum cognoscunt objecta per modum camerae obscuræ, ideò titubare solent, si quendam vident obvium, quia objectum non satis habent cognitum, si vero absque titubatione manus nostras aufugiant, istud probabiliter pulsioni aëris & tactui, non in totum oculis videtur tribuendum.

Thef. VIII.

Intra caput & alvum est *pectus & dorsum cum affixis alis*, istud utrumque est *fimbriatum*, colorisque rutili seu aurei, si partem dorsi, quæ est intra pennas, lineamenta faciei referentē, quæq; 4. incisuris notata est, secludas; *exterior crusta valdè est dura*, quâ natura nymphas armavit *ad intestini* (quod per totum corpus ad exitum usq; transit, conf. *Arist. l. 4. hist. anim. c. 7.*) conservationem, stomachi calorem & concoctionem.

Thef. IX.

Ab initio pectoris propè caput conspicimus sex fibras longiores, complicabiles, quas, postquam animalcula nostra aquam evaserunt, pedes dicere vereor, cum iis non utantur ad ingressum super terram, quandocunque enim ordinariè moventur, volatu moventur, sed ad alimenta ori subministranda, utque iis arboribus & gramini adherescere queant; ita manuum loco benigna mater natura his eadonavit.

B

Thef.

Thef. X.

Quatuor instructa sunt alis cancellatis, ideoque infectis quadripennibus annumeranda, quæ duræ sunt ac membranaceæ, stridore medentes, si allidantur. Quia verò non prædita sunt vaginâ in qua recondant alas, non ad vaginipennia, sed detectipennia sunt referenda. vid. D. Bechin. Syst. Phys. p. 738. In hoc igitur conveniunt cum Locustis v. D. Hebenstreit aliisque de iisdem. Similes etiam invicem sunt in eo, quod amborum alæ anteriores sint longiores, longitudinem à collo ad spicula usq; alvi, & sic totius, excluso capite, adæquantes; posteriores vero paululum breviores, ast propè alvum latiores. Differunt tamen in eò, quod nostri insecti pennis singulis duo nigra puncta, unum in extremitate superiore lineæ formam recipiens, hinc continuum dici potest, alterum in medietate sint infixa, secundum similitudinem punctorum nebulis lineis insperforum, wie die Glittern oder Schattier-Flecken in den Flor-Hauben. Alis postremis, præter citata signa juxta ventrem, superius flavedo, inferius nigredo adest ad latitudinem alarum.

Thef. XI.

Quando vero vulgus certas literas alis impressas frustraneo crepat ausu, istas nec nudo nec armato oculo conspiciere potui, neq; etiam scientia rerum Divinarum ad salutem nostram pertinentium hîc esset quærenda, cum, docente Apostolo, S. Scriptura sit *πᾶσα γένηται*. 2. Tim. 3. v. 17. Cæterum, *utrum commonstratæ alæ pennæ etiam dici mereantur, nec ne? problema maneat!*

Thef. XII.

Reliqua est *alvus* cum stimulis, ista pectori & dorso adhæret, estque *fusca & flexuosa*, quippe alis si tenean-

teneantur nostræ bestiolæ, instar erucarum posteriora caput versus incurvant, quod ipsa *α'υλοψία* me docuit; *superinducta est alvo cutis valdè tenuis novem annulis & incisuris ornata, subtus est latior & ad quietem apta, de super rotundior, ne aër impediatur, si surlum volare tendant.* Continet in se intestinum continuum, de quo Th. VIII.

Thef. XIII.

Quemadmodum autem juxta Aristot. l. c. pleraq; insecta habent stimulos seu aculeos, vel intus conditos, ut apes & vespa: vel extra prominentes; nostra in fine alvi loco caudæ instructa sunt duobus aculeis, quibus providus rerum parens ea munivit ad defensionem.

Thef. XIV.

Unicum addo huic partium substantialium tractationi, nempe, ideo in nullo eorum membro inveniri sanguinem, quia non egent cruore, rationem hujus asserti ipse Aristoteles suppeditat de Respir. c. 4. quia refrigeratio ex circumfusa aqua & aëre per membranam subtilem ea servat. Jam ad.

CAPUT. II.

De

NYMPH. AQUATICARUM
ACCIDENTIBUS.

Thef. I.

Hic primò attingere lubet actionem generandi sui simile, de in locum, postea tempus, durationem, sonum, tandem prædicatum accidentale, an aliquid significant? quibus breviter erutis, causas tribus evolvam & ex omnibus per integram dissertatiunculam dictis definitionem construam.

B 2

Thef.

Thef. II. *An sexu differant nymphae, observare certò non licuit, afferuere quidem nonnulli, alias fuisse magnitudine majores aliis, quibus suppositis, cum docente Aristotele Gener. anim. l. 2 c. 16. fœminæ majores sint maribus, sexus est probabilis. Verum, quia plures quas ipse intuitus sum quoad membra & eorum quantitatem invicem non fuere diversæ, volatus insuper maximè strenuus, & subitaneus interitus nullibi manifestavit coitum; hinc nihil determino, potius istud, quod Aristoteles l. c. 14. de testato fassus est, ad insectum præsens applico, dicendo, an hujus generis ulla coeant, incertum: plurima tamen non coire apertum est.*

Thef. III.

Loca, quæ in Thuringia nostra remigio alarum tranatârunt, sunt illa, quæ interjacent plagam ab ortu æstivo ad occasum hybernum (sie flogen von Ost-Nord nach West-Sûden;) unde verò venerint & ubi omnes desierint, distinctè non liquet. Istud è literis & relatione Annicorum accepi, quod in Misnia prope Dresdam & Numburgum eodem die aëra pennis secuerint & die altero pauciores in locis quibusdam Hassia affinibus se exhibuerint visui; in nostra urbe & agris die supra cit. numerosas cohortes, sequentibus verò perpaucas vivas conspicere potuimus. Dubiò procul terminus à quo fuit mare vel flumen quoddam versus nominatam mundi plagam orientis situm; terminus ad quem generalis partim hic, partim alii loci, specialis ordinariè horti, aquarum ripæ, & prata, rarissimè frumenta, ubi confederunt; nocturno, pluviarum ac frigidiore tempore palis, arboribus & gramini adhæ-

adhærescentes, donec tempestate quæ proximò manê
sequebatur plurimæ enectæ sunt.

Thef. IV.

Maximè omnium *amant aërem, ubi facilius, quam*
in aqua vivunt & conservantur, asserti hujus rationem
exponit Aristot. lib. de Respir. c. 4. Ac eorum, inquiens,
quæ in aqua degunt, omnia quæ sanguine carent, diutius
in aëre vivunt, quam ea quæ sanguinem habent, & mare
accipiunt, ut pisces. Quia enim parvò calore prædita,
sunt, ea diu aër refrigerare potest, quo in genere ea sunt quæ
mollitæ obducta sunt.

Thef. V.

Tempus annuum erat vernum ad finem tendens, tunc
maximè calidum, quò propter æstum validiorem hæ
frigidioris constitutionis bestiolæ commodius consiste-
re poterant: diurnum erat pomeridianum potissimum
ab horâ 2. ad sextam, ubi ardore sublata æthereo spira-
biles transeunt auras, ut quoad hæc non absimiles sint
nuperrimis locustis, de quibus D. Hebenstr. Diss. p. 6.
Ubi æstas vapore solis accenderet tellurem & diei fervidissi-
imum tempus esse inciperet, tum demum in sublime vehe-
bantur.

Thef. VI.

Quod durationem attinet, *brevi insectum nostrum*
perit, divulsum enim mox moritur, pluviam, rore vel mi-
nimâ frigiditate tactum cadit, & non nisi manu à me
contrectatum nocte sequente interiit, ut h. m. cum E-
phemero (de quo Franzius l. c. p. 797.) symbolum fragili-
tatis humanæ esse possit; cæteris quidem paribus, si scil.
cibum, calorem &c. habeant, experimento didici quod
ultra quintum diem sustentari possint. Ex quo constat,

vitam locustarum longè fuisse diuturniorem, quæ etiam
impastæ diem attigerunt nonum *vid. Treunerus Phænom.*
Locust. p. 26.

Thef. VII.

*Sonum quem edunt, seu strepitum, is mollior est stre-
 pitu locustarum & vix auditur, oritur autè vel [secundum
 Arist. l. 4. hist. anim. c. 9.] ex attritu interioris spiritus, vel
 alarum in volatu concursu.*

Thef. IIX.

His præsuppositis, indicandum est, quid porten-
 tosi rarissimæ hæc convivæ afferre videantur. Hic mea
 probabilis est sententia *quod signa sint rerum bonarum æ-
 què, ac malarum.*

Thef. IX.

*De malis primum. Sunt ista, fulgur, tonitru, plu-
 via, grandines & consequenter ingentes undæ. Ad hæc
 stabilienda, pono quoad singula membra rationes & ex-
 perientiam. Scilicet, non nisi solis fervorè hæc infe-
 riora accēdentè hoc insectum per auras volitat; jam ve-
 ro quis mihi istud negare autumet? quod calor solaris a-
 gat in aquam & terram, has agendo attenuet, attenuan-
 do in exhalationes resolvat? quas pariter rarefacit ea-
 rumquæ partes interventu levitatis in sublime effert: con-
 sentit jam olim B. Zeisold. l. 2. Inst. Phys. art. 2. § 22. & 23.
 En igitur! Allevatæ partes sulphuræ levi motione fulgur
 & si admixtum sit nitrum, tonitru excitant, quæ & sen-
 tentia est Ampliss. Wollenhauptii nostri Prof. Præcept. &
 Promotoris mei Vener. Colleg. Phys. MSS. dictat. Anno
 1687. Porro, partes aquæ, frigore concretæ, grandinem,
 calore liquefactæ pluvias promittunt, quarum materia
 sunt citati vapores ex aquis educti, verba sunt Celeberr.
 Phys.*

Phys. Jen. Posneri Colleg. MSS. part. spec. sect. 2. qu. 177. § 183. Ha-
 bes igitur citata meteora. Hæc omnia non tantum Anno 1673.
 quò plures grandines, *verum etiam nuperrimè d. 28. Maji expe-*
riencia rerum omnium magistra abunde comprobavit. O!
 quam horrifona tonitrua manè ultra 5. & vesperi ultra 3. horas!
 quam crepitantes grandines! quam tremenda fulmina! quan-
 tam minacium pluviarum copiam per unicam Germaniam
 experti sumus! ut damnum inundatione illatum cum primis in
 quibusdam locis prope Vierram satis æstimari nequeat, quip-
 pe non procul ab isto flumine pagi Diedorff & Neidhardshaus-
 sen/iste 7. domos & 18. incolas, hic 5. ædificia & 6. homines mi-
 serè amiserunt. Damnum nostris hortis & agris in & extra ur-
 bem, itemq; pecudibus illatum, silentio involvo, cum proh
 dolor! in vulgus notum sit. Spectant igitur nymphæ nostræ
 ad ea, de quibus *Hornius l. 2. Hist. nat. p. 131. quæ facta sunt, ut exerce-*
ant, doceant & conditoris admoneant.

Thef. X.

Istud vero *malum militare*, quod quidam præsignificari
 asserunt, *nollem exinde elicere*, cum nulla appareat ratio ac con-
 nexio, præter illud, quando post annum 73. nymphas aquati-
 cas sequebatur miles Brandeburgicus, qui loca urbi nostræ
 contigua diutius occupabat; verum, unius rei unica & simplex
 cognitio non facit experientiam. Utrum autem Altissimus præ-
 sentiâ nostri insecti tale quid intendat, de eo non scrutabimur
 inperscrutabile ejus consilium. Interim tamen *ab ignorantia no-*
stra ad frustraneam presentiam N. V. C. Hoc certum est, quod
 Deus ut terriculamenta hæc insecta miserit, quibus nos ad se
 traheret ut auxilium ejus imploraremus. *vid. plura è S. Scriptura*
Patribus & Philosophis huc facientia ap. Pelargum comment. in Genesis
p. 27. seqq.

Thef. XI.

Bona quæ promittuntur, (semper enim malo aliquid boni
 adhæret,) *in naturalibus* (spirituale Vener. Theologis exami-
 nandum relinquo, ubi Deus immittit insecta, ut velit nostram
 conversionem, exemplo Locustarum Exod. X, 4.) *probabilis est*
 anxie

anxiè hucusque expectata *vitis fecunditas*, dum enim hoc insectum calore sublatum evolat, odoratur quasi ulteriorem caliditatem, quæ, cæteris paribus, dulcissimum promittit vinum, in qua spe nos confirmat annus 73. vini fertilissimus & 84. vid. quæ cap. I. Th. III. posuimus.

Thef. XII.

Ast, hæc quæ *de signis attuli*, non eò extendi debent, ac si statutam, animalcula nostra horum esse indicia seu signa *necessaria*, talia namquæ si essent, perpetuam haberent cohærentiam cum rebus, quas significant, sed non alia sunt, nisi *prognostica & notificantia contingentia seu non necessaria*, prout terminos hos explic. laud. Hebenstr. Inst. Log. S. p. 717. & Seebach Logic. Jurid. Pol. p. 144. seqq.

Th. XIII.

Si quis ad ductum à nobis traditorum *causas* desiderat, is accipiat (1.) *Efficientem vel principalem*, Deum, vel *instrumentalem*, calorem. (2.) *Materialem* (a) *ex qua vel remotam*, materiam aqueam & terrestrem, secundum Kircherum, *seminalem, vel proximam*, secundum eundem, vermes. (b.) *in qua*, est potissimum aër. (c.) *circa quam seu objectum*, prata, aquæ & horti, rarissimè fruges. (3.) *Forma* consistit in dispositione membrorum supra indic. quibus adde quod sint paulum minores nuperrimis Locustis. [4.] *Finis intermedius* est ut terreant, doceant, *ultimus gloria Dei*.

Thef. XIV.

Nunc tandem facillimò negotio hæc prodit insecti nostri perfecta definitio. *Nympha aquatica est insectum (detestipenne, quatuor pennas habens) aquaticum, minus & mollius Locustis, majus verò Perlis communibus, coloris fuscæ, nigri, flavi & crystallini, quod per aërem liberè movetur, in pratis verò, aquarum ripis & hortis communiter quiescit, à Deo mediante calore è materia terraquea eductum, in terram hominum, signum rerum futurarum & conditoris gloriam.*

Confectarium.

Bonus Physicus, bonus vates.

Finis.

S. D. G.

1077

M

Q. K. 131, 33.

I.
SPECIMEN

NYM
AQVA

maximè



Wasser

Haud pridem per aëra
cum terrificò

Comprobante SEM
AMP
PK

M. JOH. SAM
Mittelb


palat
JOH. CHRISTOPH
Philo

die

H.

Anno

Erfordiaë, St



91

TECA
IANA

10.

